



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**

**Ulm, 1725**

Fasciculus LXV. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

## FASCICULUS LXV.

## Doctrinarum Moralium &amp; Asceticarum.

## Doctrina I.

Desumpta ex cap. 7. Propheta Danielis, in quo describitur visio fluvii ignei, numeri Ministrorum Dei, & interitus bestie, igni tradite.

N. 408. Considera: **F**luvium igneum, quem v. 10. c. 7. se vidisse testatur Daniel, egredientem à facie Dei, figuram esse ignei amoris, quò sese in homines effundit Bonitas Divina. *Rapidus* vocatur iste fluvius amor, quia: ut S. Thomas Villanovan. Conc. 3. adventus: *violentus Cælum invasit, Paradisum potentur irrupit, omnipotentem Dominum carneis vinculis alligavit, universa ejus abstulit arma, & spolia ejus distribuit, divitias ejus immensas hominibus dedit, & ipsum Majestatis Dominum triginta tribus annis ligatum hominis obsequio mancipavit. Quis neget: potuisse Deum per unicum voluntatis actum formasse hominem; sed ut amoris erga eum ostenderet excessum, manum suam in limum terræ mittere voluit, eum plasmaturus. Imò supremum divinarum personarum consistorium (ut ita loquar) congregatum esse voluit, ut præmissò Consiliò animam, ad Sanctissimæ Trinitatis imaginem efformandam ei infunderet: cætera verò creata pedibus ejus subjecit, etiam Angelicis spiritibus imperans: ut in manibus suis portaret eum, ne unquam offendant ad lapidem pedem suum. Et hæc summi Amoris atque fluminis instar effusi indicia omnibus æquali pondere & mensurâ contulit: tibi verò Christiane Lector qualia & quanta in privato contulerit beneficia, nonnihil exactiùs perpendas rogo. Cerne quomodo à parentibus, non Paganis, Idololâtris, Hæreticis, aut infamibus, sed à catholicis nasci te voluerit, corpore non cæcò, non surdò, non mutò, non mancò, sed omnibus membris benè instructò te vestivit. In omnibus victum & amictum concernentibus paternâ curâ tibi providit, ab innumeris præservans malis. Multoties in peccata lapsum poenitentia remedio retraxit, divino etiam corporis sui pabulo te reficiens. A Dæmonum insidiis die noctuque te defendit, offerens millena remedia ad salutem animæ conse-*

consequendam. Quid jam superest, quod debuit ultra facere, & non fecit? ergone tanta beneficia, immensi in te amoris indicia, non erunt magnæ, qui cor tuum ad redamandum trahat? non erunt stimulus, qui te impellat, ad patienter sufferendum adversa amore Dei? non erunt frænum, quod te retineat, à tam frequenti offensa optimi Dei? B. Agidius S. Francisci Seraphici Socius hominem ab amore sæculi ad amorem Dei sui allecturus, hunc ei formavit discursum. Erat non-nemo carens manibûs, pedibûs & oculis, qui ab amico quodam quæsitus: an si foret in mundo inveniendus aliquis, qui ei oculos ad videndum, pedes ad ambulandum, & manus ad palpandum tribueret, illumne amaret? reposuit ille: amarem haud dubiè, nec amarem tantum, sed & servirem illi fidelissimè; licet exigeret à me servitia, etiam perquam difficilia. Post hæc Agidius ad peccatorem conversus, ecquis ait: est iste qui tibi oculos, aures, pedes, manus, caput dedit? quis nobilissimum corporis & animæ tuæ compositum donavit tibi, nisi Deus? testante Psalmographo: *manus tuæ fecerunt me, & blasphemaverunt me.* Psal. 118. Si ergo non tantum ad amorem mutuum, sed etiam ad duram servitutem te profitereris illi, à quo isthæc accepisses beneficia, qualem te geres erga Deum tuum? Idem argumentum tibi Christiane objicitur: responde in forma, solvendò illud gratò mutui amoris signò; aliàs eris à Dæmone æternum infaccandus. Perpende quæso: quò fervore cœlestes illi spiritus, à Daniele v. 10. citati cap. conspecti, stent à divinis servitiis? *millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Considera: quomodo bestia illa, summæ ingratitude figura, interfecta sit. v. 12. & perierit *corpus ejus & traditum sit ad comburendum igni &c.* Nonne par supplicium te exspectat, si cum bestia ista debitum Deo amorem & reverentiam ingratus deneges?

## Doctrina 2.

*Desumpta ex cap. 8. & 9. Danielis Propheta, in quibus describitur Danielis Visio arietis bicornis, ab unicorni hirco diviçti. Languor Danielis & morbus, atque preces ob peccata Populi fise.*

Considera: **V**iros Divinis visionibûs à Deo donatos, plerumque N. 409. corporea laborasse infirmitate, prout Daniel suò exem-

exemplô cum pluribus aliis id docuit. Testatur equidem v. 27. *elangui & agrotavi per dies plurimos.* Causam talium morborum assignare videtur Gregor. M. lib. 3. Dialog. c. 24. dicens: *caro enim ea, quæ sunt Spiritûs, capere non valet, & idcirco nonnumquam cum mens humana ultra se ad videndum ducitur, necesse est: ut ad hoc vasculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur.* Verum hæc ipsa corporis infirmitas animæ sanitas est: retrahitur enim illa à Spiritu elationis, dum corpus deprimitur doloribûs, & eò liberiùs mens ad superna volat, quò caro magis ad dolores descendit. Teste Solinô generosissimum fortissimumque animal Leo quartanam sæpè patitur, ut ejus ira temperetur. Elephantes ægri colligunt salubres herbas, & antequam eis vescantur, caput ad cælum cum herbis levant, quasi Religionem per morbum edocti, pro auxilio fiunt supplices Cælo. Nunquam ad tam claram Dei cognitionem pervenisset, in umbra Gentilitatis sedens Naaman Syrus, nisi habuisset corpus leprâ affectum. Nunquam ad tam profundam humilitatem se demississet Ezechias Rex, nisi ægrotâisset ad mortem. Seraphicus Franciscus morbos & dolores fratres suos compellare consueverat, & admonitus, ut rogaret Deum pro iisdem amovendis, se in terram abiciens dixit: gratias tibi ago Domine pro dolore, quem patior, & supplex oro, ut eum in centuplum augeas, si tibi ita placeat. Noverat enim Sanctissimus iste Pater: homines nautas imitari, qui cum se mari commiserint, cælô serenô & afflantibûs Zephyrîs vacant epulis & lusui, quasi omne periculum, quod ipsis obvenire possit, penitus oblitî. Ubi verò asperior Boreas ingruere, surgere in altum procellæ, jaçtari hinc inde navis, & naufragium oculis obversari incipit, ociùs illi chartas abjicere, seponere cantharos, voluptatum omnium oblivisci, tendere in cælum manus, dolere de peccatis, Deum sanctosque vocare in auxilium cernuntur. Haud secus se gerunt homines, dum bona fruuntur valetudine: hi enim tunc voluptatibus indulgere, cœlestium rerum memoriam, & animæ salutis curam deponere incipiunt; at gravî infirmitate pressi, doloribûs affecti, periculô vitæ exterriti, illicò ad Cælum suspiriis calidis conferunt, terrena negligunt, de præteritis culpis per confessionem abjectis dolent, dignosque se reddunt cœlesti gratiâ & æternâ gloriâ. Hinc est: quòd cœnæ Evangelicæ, æternæ felicitatis symbolo, non alii nisi cœci, surdi, claudi atque aliis corporum defectibus & morbis obnoxii interfuerint: sanis ibidem compa-

comparere recusantibus. Ergò Christiane Lector, si quandoque morbos & dolores corporis patiaris, cogita: hos non esse ad animæ mortem, sed pro gloria Dei & salute tua; ab his enim instar ferri rubiginem amittis, & cœlestium rerum memoriam, quam prosperâ valetudine perdidisti, hęc antidotò acquires. Aromata fragrantiam tunc spirant, cùm incenduntur: & animæ cœlestia meditantur, cùm eorum corpora infirmitate uruntur, atque delictorum præteritorum memores cum Daniele cap. 9. v. 5. exclamant: *peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & declinavimus à mandatis tuis.* Siquè hanc castigantis Dei manum tulerint ad aliquot tempus, tunc prædicitur ipsis per Danielis Oraculum: *abbrevientur hebdomades &c. doloribus videlicet & morbis citò finem habituris.*

### Doctrina 3.

*Desumpta ex cap. 10. & 13. Danielis Prophete, in quibus describitur Danielis mortificatio, ejus consternatio abacta per solatium, è Cœlo missum. Senum Babylonia scelus in tentanda Susanna castissima Matrona &c.*

**Considera:** **P**ersonis, Deo per sacram Professionem mancipatis *N. 410.* dem evenire, quod evenerat Danieli versu 12. cap. 10. primò enim die, quò mortui Mundò cor suum ponunt ad intelligendum, ut se affigèrent in conspectu Dei, dignos se reddunt, supernis visitationibus tanquam missis è Cœlo Nuntiis recreari, propulsò omnî timore, quem Dæmon, Mundus & caro ingesserant. Inveniunt suavissimam Spiritus Sancti consolationem, ait Gerfen noster lib. 3. de imit. Chr. c. 10. §. 5. *qui pro amore tuo carnalem abjecerint delectationem. Consequentur magnam cordis latitiam, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam neglexerint curam.* Cardinalis Bellarm. teste Engelgrav. in comm. confess. §. 1. de se dicere consueverat: *cùm essem Religiosus nesciebam penitens, quid invita esset tristitia, cùm factus sum Cardinalis, nescio quid sit letitia.* S. Romualdus ultra centum annos in Religione transegit, viginti aliis in Mundo transactis. Is verò auditus est asserere: *quàm longa & misera hac mihi vita tempora, quàm brevia & jucunda illa existere.* Suatacopius Rex Bohemiæ infelicè pugna ab Arnolpho superatus, postquam ægrè vincula & mortem effugiens in cremum devenit, ibidem Religiosi instar vitam egit, adèò de-  
litis

litiis cœlestibus & solatiis repletam, ut moriens testaretur obortis lacrymâs: *se veram vitam in Caula, in Aula mortem invenisse.* Planè sicut Isaac se in spontaneam Victimam offerens Deo, arietem pro se pati vidit, integer ipse lætusquè domum remeans, ita Homo in spontaneum Holocaustum Deo per sacram Professionem oblatus, dum civilem subit mortem, ad vitam transit optimam. Inter plurima encomia, quibus SS. PP. & spiritualis vitæ Magistri Religiosum statum condecorare solent, illud non postremum est, quòd Cœlum nominent. Ut enim Cœlum illud corpus est, quod cætera omnia supergrediens, intervallò penè infinitò sub se terram relinquit, & innatam elementis vicissitudinè altissimè despicit: ita Religio tertena omnia incredibili excelitate superat, & humanarum rerum vicissitudines, quas perpeti coguntur mundani, nullatenùs sentit. Honorum & Dignitatum velut errantium stellarum evanescentes radios, immensâ suâ altitudine elidit, & contemnit. Cœlum dicitur tranquillitatis sedes, securitatis locus, quid n̄ Religio hæc ipsa participet prædicata? cùm enim ad Religiosum statum non habeat accessum inferior mundi turba: cùm forensibus negotiis omnes præcludantur janua; cùm omnis longè absit armorum strepitus: quis neget: in Religione reperiri tranquillitatis sedem? cùm Religiosus status fortissimò votorum vallò sit circumdatus, & circumseptus validissimâ Sanctissimarum constitutionum munimentis: cùm occupetur assiduâ passionum edomatione, & gloriosâ hostium infernalium victoriâ, quis neget, in Religione inveniri securitatem cœlestem? non jam dicam: admirandam illam animorum concordiam, quæ ex tot diversis Nationum humoribus exsurgit in Religione, esse pacis supernæ exemplar. Aut illum ex divini luminis, animos semper irradiantis uberrimò fluxu exortum splendorem, esse symbolum cœlestis illius claritatis, quâ perfruuntur sancti: aut illam in exequendis Superiorum mandatis celeritatem, esse figuram agitalitatis, quæ cœlestibus reperitur in Incolis. Loquatur pro me testis omnî exceptione major S. Magdalena de Pazzis, & dicet illa c. 13. suæ vitæ: *Religiosum Domicilium esse imaginem Cœli.* Errat ergò, qui putat: se multum deprædicare Religiosum statum, si dicat: illum esse alterum Paradisum terrestrem. Fuerit enim Paradisus voluptatis hortus, irriguus limpidissimâ aquarum rivulis, odoriferis amœnus floribus, dulcissimâ fecundus flosculis. Longè præcellit hunc hortum aut florum amœnitate, aut frugum fecunditate, aut

aut fontium ubertate Religio, si consideremus fontes illos aquæ vivæ salientis in vitam æternam, quæ illa affluit: si perpendamus fructus floresque variarum virtutum, quæ illa corruscant, spargitque miram fragrantiam. Fuerit Paradisus terrestris primævæ innocentie asylum, non tamen in illo secunda stetit innocentia, dum stygii serpentis suggestionibus impugnata est. Religio verò locus est, quem mellifluus Doctor *terram Sanctam*, in qua aut rarò, aut nunquam auris præbetur serpenti; sed (ut loquar citati Doctoris verbis Epist. ad frat. de monte Dei scribentis) *in qua Dominus & Servus ejus sæpe colloquuntur sicut vir ad amicum suum, in qua crebrius fidelis anima verbo Dei conjungitur, Sponsa Sponso sociatur, terrenis cœlestia, humanis divina uniuntur.* O quam felicem te ergo æstimes bone Lector: si inspirante Deo tam beatum elegisti statum! sed vide, ne illi difformiter vivas. Est prohi dolor! Religiosos quandoque reperire, qui Saturnum imitantur, Planetam utique Cœlo proximum, & hinc ab ejus influentiis vel maximè implendum: quas tamen ille repellens, manet Planeta frigidus atque tardus, eò peior, quo meliori vicinior locò. Tales Religiosi juxta panem positi moriuntur fame, juxta fontem pereunt siti, in ipso Paradiso constituti sentiunt Infernum, ex Angelis in Dæmones, ex Christi discipulis in Proditores, ex Manna cœlesti in vermes pessimâ metamorphosi mutantur, illorum Judicum sequaces, qui capitis cit. v. 13. testante S. Scriptura *everterunt sensum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent solem, & non recordarentur Judiciorum justorum.* Si Susanna, mulier, inter sæculi rumores, divitias & delicias vivens, habuit tantum zelum servandæ Castitatis & pietatis, Deo nunquam jurata, ut citius mori, quàm coedari voluerit, quid à talibus personis requiret Deus, quæ ab omni mundo per religiosa vota sejunctæ, in altero quasi Cœlo vivunt? & quàm enorme crimen patrabunt, datæ fidei morem non gerendò? rectè igitur pro talibus sententiam declamat Blossius noster in Spec. Monast. asserens: *simplicem gehennam in seculo malè viventes Religiosi sibi comparassent, duplici gehenna supplicio in Monasterio malè viventes se reos faciunt.*

Aaaa

Doctri-

## Doctrina 4.

*Desumpta ex residuis capitibus Danielis Propheta, in quibus describitur: quomodo Daniel detexerit technas Baalitarum, destruxerit Draconem insatiabile monstrum. Quomodo Leonibus objectus, nil malè ab ipsis passus sit.*

N. 411. *Considera:* **I**nsatiabile quidem illud existisse Monstrum, Babylonicum Draconem, tot cibis quotidie pastum; at longè insatiabilior se probare Draconem Inferni, qui quò plures devorat oves, animas videlicet Christi Sanguine redemptas, eò plures esurit. *Dilatavit Infernus animam suam, hoc est Interprete Hugone, affectum devorandi, qui nunquam mortuorum multitudine completur.* Eremita quidam, ut refert speculum exemplorum *V. damnatus*: vidit in raptu animas hominum nivis instar densissimæ infernalibus flammis illabi; tribus tantum ad Cælum evolantibus, animam videlicet Episcopi, Cartusiani & viduæ Romanæ. Hoc ut ad se rediens retulit Cardinali Innocentio, ille quantocius missis hinc inde nuntiis tres personas, quarum meminit extaticus Eremita, eodem tempore vitâ excessisse intellexit. Nec mirum: tantum hominum copiam Tartaro immergi: quia teste Christo: etsi constet, multos vocari, constat tamen paucos esse electos. Michæus Deum hisce lamentantem verbis inducit cap. 7. *Vae mihi! quia factus sum, sicut qui colligit in autumnio racemos vindemiae. Non est Botrus ad comedendum, periit Sanctus de terra, & Rectus in hominibus non est.* Hæc autem loquendi methodò indicare voluit: Dæmonem adeò copiosâ gaudere animarum vindemiâ, ut Deo nihil relinquat, nisi quosdam racemos à se neglectos. Consonat Isaias cap. 24. asserens: *quomodo si pauca oliva, quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi, cum fuerit finita Vindemia.* S. Petrus sibi consignatas habens claves Paradisi cœlestis, de animabus in Diluvio salvatis loquens ait 1. Epist. *cum fabricaretur Arca, in qua pauca, id est, octo anima salve facta sunt.* Est autem Arca illa Cœli figura, Diluvium verò figura infernalium pœnarum. Paulus de Palatio considerans Christum Matth. 8. ascendentem in naviculam, sequentibus discipulis sic ingeniosè discurret: *non inquit Textus navim, sed naviculam. Sicut elegantissima navis est vita Christiana, quæ ad portum salutis affert; ita horrendè & lacrymabiliter dicta navicula est.* Utinam navis grandis



dis & nimium capax fuisset! sed navicula est arcta, angusta est, brevis est, quia pauci sunt, qui intrant per eam. Mysteriô ad nostrum propositum aptissimo non caret: quod vates regius damnatos comparet ovibus, cantans: sicut oves in Inferno positi sunt, mors depascet eos. Testatur enim quotidiana experientia: homines instar ovium se gerere, quæ unâ in foveam saltante magnô numerô sequuntur. Utinam Christiane Lector! non tu ex errantium ovium numero una sis, quæ aliorum perverso seducta exemplô, in foveam peccatorum ruunt, olim tartareis aggregandæ hædis, quas infernalis Draco pabuli locô exspectat. Vuit quidem Deus Apostolô teste: omnes homines salvos fieri, sed expressô cum limite, quem exponit S. Ambrosius in 1. Timoth. 2. scribens! si accedant ad eum: non enim vult, ut nolentes salventur. Sed vult ipsos salvos fieri, si & ipsi velint; nam usique, qui omnibus legem dedit, nullum excipit à salute, non est verò salus, si nolenti tribuatur. Celebris illa Nuptiarum Parabola, in qua homo non vestitus veste nuptiali convivio absidere præsumens, audire debuit Matth. 22. ligatis manibus & pedibus mitte eum in tenebras exteriores &c. Dubium movet: quô modô contigerit: in tam solemnî & hilari convivio ad manum fuisse vincula & compedes, lictores & justitiæ vindicativæ ministros? Verùm cum certum sit: iniquitates capere impium Prov. 5. hinc homo ille suâ culpâ vestem non deferens nuptialem, ipse suus carnifex; funes & vincula parata deferbat. *Perditio tua ex te Isaiel Osee 13* Peccator arbor est, ex qua nascitur manubrium securis illius, quâ ipsemet excidetur, mittendus in ignem. Perit incendiô, quod ipse excitat. Cadit in foveam, quam fodit, & imitatur infantem, qui propriô cultrô sibi nocumento est. Hinc Christiane Lector quasi à facie Draconis fuge peccatum dicens cum Daniele Verbô & factô v. 4. citati cap. quia non colo Idola manu facta, sed viventem Deum, qui creavit Cælum & terram. Satius est, hîc parvô temporis spatiô vivere cum Daniele inter Leones, patiendô videlicet adversa ab hominibus, quàm ibi tartareo Draconi cedere in æternum pabulum.

A a a a

FASCI.